

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Correctio ce
cum fontibus proximo, medio et primis

Facientis procul dubio culpam habet
qui quod potest corrigere negligit emendare.

Et libat Domino prospera
qui ab afflictis pellit aduersa,
et negligere cum possit perturbare peruersos
nichil aliud est quam fouere.
Nec caret scrupulo consensionis occulte
qui manifesto facinori desinit obuiare.

Et primus innocencie gradus est odisse
nefanda. Latum pandit delinquentibus
aditum qui iungit cum prauitate consensum.
Et nichil prodest alicui non puniri proprio
qui puniendus est de alieno peccato.

Ibidem (Leo papa et ponitur LXXXVI.
distinctione).

Facientis proculdubio culpam habet,
qui quod potest corrigere negligit emendare.

Scriptum quippe est:
„Non solum qui faciunt,
sed etiam qui consentiunt,“
participes iudicantur.

Et libat Domino prospera,
qui ab afflictis pellit aduersa.

Et negligere, cum possit deturbare peruersos,
nihil aliud est aliud quam fouere.

Nec caret scrupulo consensionis occultae,
qui manifesto facinori desinit obuiare.

Et probat se odisse uitia,
qui condemnat errantes.

Nec relinquit sibi locum deuiandi,
qui non pepercerit excedenti.

Et primus innocentiae gradus est odisse
nefanda. Et latum pandit delinquentibus
aditum, qui iungit cum pravitate consensum.
Et nichil prodest alicui non puniri proprio,
qui puniendus est alieno peccato.

Gratianus, *Decretum*, 12.86.3 (*Corpus iuris canonici* 1, A. Friedberg ed., col.298).

Item,
facientis procul dubio culpam habet,
qui quod potest corrigere, negligit emendare.

Scriptum quippe est:
Non solum qui faciunt,
sed etiam qui consentiunt,
participes judicantur.

Et libat Domino prospera,
qui ab afflictis pellit adversa.

Et negligere, cum possit deturbare peruersos,
nihil aliud est aliud quam fouere;
nec caret scrupulo consensionis occultae,
qui manifesto facinori desinit obviare.

Et probat odisse se vitia,
qui contemnat errantes;
nec relinquit sibi locum deviandi,
qui non pepercerit excedenti.

Et primus innocentiae gradus est odisse
nefanda. Et latum pandit delinquentibus
aditum, qui jungit cum pravitate consensum;
et nihil prodest alicui non puniri proprio,
qui puniendus est alieno peccato.

Joannes VIII papa, *Epistolae*, 371 (PL 126,
col.959B-C).

Proinde paterno salutantes affectu,
petimus, praecellentissimi filii,
ut hoc tam detestabile malum de regni uestri
studeatis finibus prohiberi, et nulla apud uos
excusatio, nulla contra animam uestram
suggestio locum inueniat, quia
facientis procul dubio culpam habet,
qui quod potest corrigere neglegit emendare.

Gregorius Magnus, *Registrum epistularum*,
9.216 (CCSL 140A, D. Norberg ed.,
pp.778-9, ll.60-64).